



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCCII. ad annum CCCCXXX.

**Parisiis, 1644**

V. Vt Gregorii Emeritensis episcopi querela discutiatur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14918**

Decretum Synodi Toletanæ, vel communionis consor-  
tio propter abolendam suspicionem schismatis miscean-  
tur, vel si qui fuerint deprehensi qui abnuant concor-  
diam & constituta placitorum, a communione catho-  
licæ fidei per dilectionis vestræ sententias abdicentur: vt  
iam non internum malum, quod tacitum non definit ser-  
pere, sed schismaticorum manifesta professio contagio-  
que vitetur.

## IV.

Nam <sup>7</sup> de ordinationibus, quas prauæ consuetudinis  
vitio Hispanienses episcopos celebrare cognoscimus, fu-  
erat aliquid secundum maiorum traditionem statuen-  
dum, nisi perpendermus ne perturbationes quampluri-  
mis ecclesiis moueremus. Quorum factum ita reprehendim-  
imus, vt propter numerum corrigendorum, ea quæ  
quoquo modo facta sunt in dubium non vocemus, sed  
Dei potius iudicio dimittamus. Quantos enim ex his qui  
post acceptam baptismi gratiam in forensi exercitatione  
versati sunt, & obtinendi pertinaciâ suscepereunt, adscitos  
ad sacerdotium esse comperimus, e quorum numero Rufi-  
nus & Gregorius perhibentur? Quantos ex aliqua mi-  
litia, qui cum potestatibus obedirent, seuera necessario  
præcepta sunt executi? Quantos ex curialibus, qui dum  
parent potestatibus, quæ sibi sunt imperata fecerunt?  
Quantos quivoluptates & editiones populo celebrarunt,  
ad honorem summi sacerdotii peruenisse: quorum om-  
nium neminem ne ad societatem quidem ordinis cleri-  
corum oportuerat peruenire? Quæ si singula discutien-  
da mandemus, non modicos motus aut scandala Hispa-  
niensibus prouinciis, quibus mederi cupimus, de studio  
emendationis inducemus. Idcirco remittēda potius hæc  
putamus. Sed ne deinceps similia committantur, dile-  
ctionis vestræ maturitas prouidere debebit, vt tantæ v-  
surpationi saltem nunc finis necessarius imponatur: eo  
videlicet constituto, vt si qui post hæc aduersus formas  
Canonum, vel ad ecclesiasticum ordinem, vel ad ipsum  
sacerdotiū venire tentauerint, yna cum creatoribus suis  
ipso, in quo inuenti fuerint, ordine & honore priuentur.

## V.

Gregorii etiam Emeritensis episcopi, qui <sup>8</sup> in locum  
Pa-

Patruini venerabilis recordationis est ordinatus, quæla, si qua est, audiatur: & si contra meritum suum passus est iniuriam, in inuidos honoris alterius vindicetur: ne posthac in quemquam bonorum spiritus factionis insurgat.

## VI.

Et quamuis dilectioni vestrae, fratres carissimi, regulæ Nicenæ sint cognitæ, secundum quas ordinationes faciendas esse per sententiam decernitis: tamen aliquam partem, quæ de ordinationibus est prouisa, inferendam putaui, ut secundum hanc ordinationes in posterum celebrandas, ne cui interpretandi aliter liberum arbitrium relinquatur. Ac primum quæ sunt prohibita digeruntur. Ne quispiam qui post baptismum militauerit, ad ordinem debeat clericatus admitti: neque qui causas post acceptum baptismum egerint; aut qui post acceptam Dei gratiam administrauerint: neque de curialibus aliquem venire ad ecclesiasticum ordinem posse, qui post baptismum vel coronati fuerint, vel sacerdotium quod dicitur sustinuerint, & editiones publicas celebrauerint. Nā & hoc de curialibus est cauendum, ne iidem qui ex curialibus fuerint, aliquando a suis curiis, quod frequenter videmus accidere, reposcantur. Quæ omnia rationabiliter prohibita oportet modis omnibus custodiri. Quales vero eligendi sint in ordine clericorum, euidens forma declarat. Id est, qui ab ineunte ætate baptizati fuerint, & electorum officio sociati: vel si maiores sint, cum fuerint Dei gratiam consecuti, statim se ecclesiasticis ordinibus mancipauerint. Et si vxores habuerint, quærendum si vxorem virginem acceperint: quia scriptum est in veteri testamento: *Vxorem virginem accipiat sacerdos.* & alibi: *Sacerdotes mei semel nubant.* Neque qui duas vxores habuerit, quia Paulus apostolus ait: *Vnius uxoris vi- rum.* Nec illud debere admitti, quod aliquanti pro defensione proui erroris opponunt & asserunt, quod ante baptismum vxor accepta non debeat imputari, quia in baptismo omnia dimittuntur. Non intelligentes huiusmodi, quod sola in baptismo peccata dimittuntur, nec vxorum numerus aboletur. Nam si a Deo, vt scriptum est, *præparatur viro uxor,* & quod Deus coniunxit, homo non separet, *Matt. 19.*

*Concil. Tom. 4.*

H

*Levit. 21.*

*1. Tim. 3.*

*Tit. 1.*

*Prov. 19.*

*Matt. 19.*

UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN